



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1312 Usque Ad Annum 1351

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1767

VD18 9011826X

§. 7. Mors Imperatoris Henrici VII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66305)

Sæcul. XIV.
A.C. 1313.

dem Archiepiscopo, Aureliæque & Antistiodori Episcopis præcepit, ut ex ipsius authoritate in hanc rem summam & sine iudicii specie inquirerent, ac informationum tabulas ad ipsum mitterent. Ante aliquot secula id mandatum visum esset supervacaneum, quia Senonensis Archiepiscopus & Suffraganei ejus erant legitimi Iudices Episcopi Trecentis. Videbatur nocens ex verbis quorundam falsorum testium: & dominica ante festum S. Dionysii sexta Octobris an. 1308 Clerus ac populus Parisiis in hortum regium ea de causa convenit, cum Episcopus jam comprehensus nulla clericalis privilegii sui ratione habita in arcto carcere Luparano custodiretur. Ita captivus amplius quadriennio hæsit usque ad annum 1313, quo innocentia ejus agnita fuit ex confessione cujusdam Lombardi Noflii nomine Parisiis aliud ob crimen in furcam acti.

Nang. p. 651

§. VII.

Mors Imperatoris Henrici.

Imperator Henricus, postquam coronatus fuerat, relicta Roma in Hetruria substitit oppositurus se partibus Guelforum contra se foederatis ac per Regem Neapolis Robertum fultis. Quin etiam hunc in Principem 25 Apr. 1313
ten-

sententiam tulit, per quam eum vocat fi-
 duciarium clientem rebellem ac perfidum, læsæ majestatis reum declarat, ut talem omnibus terris, honoribus, dignitatibusque ac juribus privat, ex Imperio relegat, ad pugnam provocat, capite damnat, & prohibet, nequis hominum quacunque demum autoritate conspicuus ei præstet obedientiam, aut eum agnoscat Regem. Quinto decimo Augusti Assumptæ in cœlum Virgini sacro Imperator Bonconventi prope Senas commorans pietati vacabat suæ, ac e manu Fratris Prædicatoris Bernardi de Monte Politiano divinam accepit dapem: posthæc decubuit æger, ac eodem in loco die S. Bartholomæi 25 Aug. obiit. Perhibebant aliqui Fratrem Bernardum immisisse venenum in vinum ablutionis, quod illi post sacram communionem præbuisset. At Medici coram Papa negabant illum ex veneno mortuum: virique fide digni affirmabant eum ex vomica femoris decessisse. Tandem Joannes Luxemburgius Bohemiæ Rex Imperatoris Henrici filius post triginta tres annos per litteras patentes declaravit esse falsa, quæ de hoc veneficio dicta scriptave fuissent: sic Fratrem Bernardum, totumque S. Dominici Ordinem purgavit.

Sæcul. XIV.

A.C. 1313.

Freher. Rer.

Germ. to. I.

p. 413.

Baluz. Mi-

scell. to. I.

p. 132.

Id. vit. to. I.

p. 21. 53. 94.

614.

Miscell.

p. 162.